

Quando Faventini iverunt contra Petrum comitem Castrocarii.

CAP. LXXIV.

Sub anno Dominicæ incarnationis MCLXXIII, cum guerra esset maxima, occasione
quarumdam possessionum, inter Petrum comitem de Castrocaro et Rainerium de Ra-
valdino, et ipse Rainerius videretur quasi succumbere, ad comitem Guidonem Guer-
ram se contulit, ei fidelitatem faciens, ut ejus mereretur habere patrocinium. Ut igi-
tur praefatus comes tanti fidelis bona manuteneret, castrum Petri comitis, scilicet
Sanctum Petrum in Cereto [A] mense Mar[ti]i [a] obsedit; quem infra viii dies Pe-
trus comes, adjutorio Cavalcacomitis, abbatis de Galiatha [b], et aliorum quamplu-
rium, aggressus est fortiter, et bello per maximum spacium commisso acer[bi]mo, tan-
dem comes Guido cum suis fugam arripuit, se ad commune Faventinum [c] conferens.
Faventini namque, cum summo mane quod factum esset [d] praelium audissent, me-
mores antiquissimae amicitiae domus comitis Guidonis, armis ac reptis ab eis, ad ejus
properant auxilium, licet Petrus magnus esset civis Faventiae. Eodem præterea annos
in mense Junii, Faventini amore comitis Guidonis, castrum Carpeneti, infra curiam
Castrocarii, edificaverunt, ipsum comitem manutenentes et pro viribus eum iuvan-
tes, donec plenum habuit de inimicis triumphum.

Quando Ancona fuit obsessa.

CAP. LXXV.

Anno MCLXXIII (68) cancellarius Christianus [e], et Venetici obsederunt Anconam, quos Lombardi (69) expulere ab obsidione & volentes dare [f] Faventinis xxx millia librarum, si in eorum intrassent societatem; quod postea, sine prelio et non rogati, fecerunt Faventini.

Quando rehemens ventus flavit Faventiae.

CAP. LXXVI.

Anno Domini MCLXXXIV, in kalendis novembris, tam vehemens ventus flavit Fau-
ventiae et in maxima parte Italiae, qui domos fere omnes discoperuit, turres et ae-

[a] mense martii, C. M.; in mense martii, C. V. — [b] abbatis de Galiatha, C. M.; abbatis de Galiata C. V. — [c] se ad commune Faventinum. Sic lego cum cl. Mitt.; Codd. M. et V. habent, sed ad commune ec. Et, pro Faventinum, habet Faventiae C. V. — [d] quod factum esset, C. V.; quod futurum esset, legit cl. Mitt. — [e] cancellarius Christianus, C. V.; canzellaris Christianus, C. M. — [f] volentes dare, C. M.; nolentes dare, C. V.

[A] *Sanctus Petrus in Cereto.* An in valle de Cereto, aut potius alibi, sit hujusmodi castrum non satis mihi constat.